

CXVI.

Anno 1388. 19. Januarii. Spalati.

Spalatenses Sigismundi Regis protectionem unaque privilegiorum suorum confirmationem quaerunt.

In Christi nomine Amen. Nos Johannes de Pizinacolis de Ancona, Capitaneus, Judices & Consilarii Ciuitatis Spalati, vobis viris nobilibus Mattheo Chrystophori & Nicole Srichie, Ambaxatoribus nostris, salutem et sincere dilectionis affectum. Harum serie committimus vobis, quod (pro) parte nostra ire debeatis ad Serenissimum et Illustrissimum Principem Dominum nostrum Sigismundum, Vngarie, Dalmatie, Croatie Regem inclitum, et ad Serenissimam Dominam nostram Dominam Mariam, Regnorum eorundem Reginam inclitam, et eisdem et utrique eorum cum omni reuerentia inclinabitis, sicut honori Regio et nostro cognoscetis conuenire, de sua coronatione, liberatione, regimine et suis felicibus successibus congaudentes. Nos, consilium nostrum ciuitatis, ciues et incolas ciuitatis regie Spalatensis, sue Maiestati fidelissimos, et quos in regiis aduersitatibus contra tot nobis aduersa comprobauit constans et vera fides, vt notorium est, recommendabitis eisdem, sicut discretionis vestre videbitur conuenire, et si vobis videbitur, aduersa distinguere. Nos et Ciuitatem excusabitis, si ante ad eorum Maiestatis non misimus Ambassadors, quia non potuimus, tum propter viarum discrimina, tum propter guerram nobis factam, et damna illata, et grauamina multa, nobis impensa per Regem Bosne, Priorem Aurane et alios Sue Maiestatis emulos, et alia vt infra, que omnia satis nota sunt omnibus, de quibus estis plenissime informati, que nec cessaret nec cessant, in futurum videmus, nisi diuina prouidentia manum porrigat adiutricem, et Sue Maiestatis potentia succurrat, quod facere dignetur, supplicamus. Nouissime Maiestas Vestra fideles, imo fidelissimos suos Spalatenses requisiiuit, vt ad eiusdem presentiam Ambaxatores destinarent, pro confirmatione vnionis et pacis, quam concludere intendebat et facere cum Duce et Communitate Venetiarum; qui vti filij obedientie et veri fideles, nos, quam velocius potuerunt, expediuerunt iuxta mandatum predictum, et gratia Dei nos audios colere Maiestatem Vestram deuotione tota, in eiusdem deduxit conspectum mandato Maiestatis Vestre. His dictis stabitis et responsum expectabitis, si dabitur; et si non dabitur, procurabitis scire, quid factum sit de predictis, aut que sit ejus intentio; et super hoc providebitis ordine isto: videlicet conferre debetis cum Ambaxiatoribus aliarum terrarum Dalmatie, et hortari Dominum Regem ad pacem cum omnibus et precipue cum Venetis, quia bona et ea minima concordia crescunt, discordia maxima dilabuntur, et supplicare ac pro posse procurare, quod remaneamus sub protectione et dominio Corone Vngarice, et quod in alios non transferamur, et quod nullum alium dominium vel commune habeat vel aquirat